



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

Photini historia, & synodorum contra eum celebratarum tam à catholicis quàm ab haereticis. Ostenditur duas fuisse Sirmienses: quarum prior hactenus ignota in lucem extrahitur. Capvt I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704



D E

PHOTINO HÆRETICO
eisque damnatione.

Photini historia, & synodorum contra eum celebratarum tam à catholicis quàm ab hæreticis. Ostenditur duas fuisse Sirmienses: quarum prior hæctenus ignota in lucem extrahitur.

CAPVT I.

PHOTINVS Sirmii, quod Pannoniæ oppidum est, Episcopus, ^a Marcelli Ancyrae Episcopi in adolescentia discipulus, & ^b sub eo Diaconus aliquandiu vixit. Is de Christo pravè sentiens, ^c Pauli Samosatani instauravit hæresim, ob eamque sæpe damnatus est tam ab catholicis quàm ab ipsis Arianis.

^d Severus Sulpicius auctor est ipsum unà cum Marcello præceptore suo synodi judicio condemnatum esse etiam ante Sardicensem. Ac videtur ea synodus Con-

a Sever. lib.

2. Hist.

b Hilar.

frag.

c Epiph.

Hær. 71.

d Lib. 2.

Primò

damnatus

in synodo

Constanti-

G g

nopolitana
ab hæreticis.

stantinopolitana fuisse quæ post famosum illud Tyri conciliabulum anno Christi cccxxxvi. imperante adhuc Constantino peracta est. de qua Socrates lib. i. cap. xxxvi. & Tripart. lib. iii. cap. ix. Nam Marcellus in illa depositus. quamquam de Photino nulla apud Socratem fit mentio. Porrò cùm Athanasius post id tempus cum ambobus istis communicasset, ab iisdem Arianis absens condemnatus est, ut ait Severus. quod ad synodum Antiochenam pertinet, ^a in qua depositus est Athanasius.

^a Socrat.
lib. 2. c. 10.

Secundò
in Sardicensi à catholicis.
^b Lib. 2. c. 8. Tripart.
i. cap. 24.
^c Har. 71.
N. 1.

Pòst Sardicense Concilium anno ccc. xlvii. celebratum est, in quo Athanasius, & Marcellus pristinum in locum restituti sunt; ut ex synodica constat, ^b quæ apud Theodoretum legitur. ^c Epiphanius refert in eadem synodo Photinum damnatum & gradu esse dejectum; cujus in synodica nulla extat mentio.

Tertiò in
Mediolanensi à catholicis.

Exinde Mediolani catholicorum celebrata synodus est, biennio antequam Valens & Ursacius in Ecclesiam recipi se postulantes, Iulio & Athanasio supplices libellos obtulissent. *Igitur ad tollendum* (ait ^d Hilarius) *ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes, hoc magis soli-*

^d Hilar. in
frag.

citi atque anxii, turbari rursus miscerique omnia, quod jam pridem plures Episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum vel communionis hæresis Arianae ab Ecclesia fuerat necesse rescare. Quam opportunitatem nacti Ursacius & Valens, Romanae plebis Episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur &c. Huic synodo Romani Pontificis interfuerunt Legati, in eaque hæresis Ariana proscripta est, & Ursacius ac Valens à communione suspensi, rogata venia in gratiam recepti sunt. quatuor alii Episcopi Arianae sectæ cum Arii perfidiam damnare nolissent, irati exierunt. Cujus rei fidem faciunt imprimis epistolæ duæ, ^a altera Concilii Ariminensis ad Constantium, altera Liberii Papæ, quam per Luciferum Episcopum ad eundem Constantium Imperatorem misit cum ab eo sollicitaretur uti Athanasii depositioni subscriberet, paullo antequam iret in exilium. Hanc epistolam primo loco commemorabo; in qua Liberius Constantium, hortantem ut cum Arianis Episcopis consentiret, ita compellat. *Quæ est pax, clementissime Imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi, Demofilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam nolissent damnare, de Concilio iratis animis exie-*

a Extat in calce operum Luciferi, & in frag. Hilar.

a Extat
apud A-
than. lib. de
Syn. p. 676.
Socra. lib.
2. Theodo-
re. 2. c. 19.
Tripar. 5.
cap. 21.

runt. In ^a altera synodi Ariminensis epistola catholici Episcopi de Ursacio & Valente sic apud eundem Constantium queruntur ; ut è Græco vertit Epiphanius Scholasticus in Tripartita. *Quapropter Ursacius & Valens, quoniam participes & concordēs Ariani dogmatis erant, à nostra sunt communione segregati. Quam ut reciperent, cognoscentes delicta quibus peccaverant, pœnitentiam atque veniam impetrare poscebant ; & rescripta eorum hæc ita se habere testantur, per quæ criminum veniam consecuti sunt. Erat enim tempus quo hæc gesta noscuntur quando Mediolani synodus celebrata est præsentibus Romanæ Ecclesiæ Presbyteris. Cognoscentes verò simul etiam post mortem dignum memoria Constantinum cum omni integritate & examinatione conscriptam exposuisse fidem : qui cum ab hac luce baptismate percepto discesserit, & ad præmia debitæ pacis abierit, incongruum esse judicamus post illum aliquid novitatis admittere. Hanc epistolam Latinè conceptam retulit Hilarius in fragmentis, sed concisam, & omissis plurimis quæ in Græco sunt mutilam. Ita enim verba illa, quæ descripsimus, illic leguntur. Ideo Ursacius & Valens in suspicionem ejusdem hæreseos Arianae venerunt aliquando, & suspensi erant à communione, & rogaverunt veniam ; sicut eorum continent scripta : quam meruerunt tunc*

temporis à Concilio Mediolanensi & assistentibus etiam Legatis Romanæ Ecclesiæ, Constantino præsentem. In hoc cum magno examine fuisset conscriptum quod tenens baptizatus ad quietem Dei comm gravit, nefas putamus inde aliquid mutare.

Ex his colliguntur quatuor quæ ad Mediolanensem istam synodum illustrandam pertinent. Primum, in ea damnatos Arianos, ac proinde celebratam esse ab Episcopis catholicis. Deinde Romanæ Ecclesiæ Presbyteros vel, ut habet Hilarius, Legatos interfuisse. Quòd autem Constantino præsentem facta esse apud eundem Hilarium legitur, id in Græco non extat: neque de Constantino M. verum est, uti neque de ejus filio juniore Constantino, ut ex illius synodi tempore paulò post evidens fiet. De Constante itaque loquuntur; cujus jussu, utpote catholici Principis, coacta videtur illa synodus. Quod si verum est, tum sanè reliqua, quibus ejus mortis & baptismi meminerunt, ad Constantem, non ad Constantinum, pertinebunt. Sed ea res alterius est disputationis ac loci. Tertiò indidem constat Ursacium & Valentem in Mediolanensi Concilio Arianæ postulatos hæresis veniam exorasse & in integrum restitutos esse. Quartò annus quoque quo illa synodus est congregata,

Illustratur
Mediolanensis
synodus.

ex Liberii epistola conficitur. Nam dicitur ante octo annos quam ad Constantium illam epistolam scriberet, Mediolani eam habitam fuisse. Porrò scripsit ad Constantium Liberius antequam in exilium mitteretur, adeoque anno Christi trecentesimo quinquagesimo quinto. Quare octavus annus ante hunc erit annus Christi cccxlvii. ut Sardicensem synodum brevi intervallo Mediolanensis consecuta sit, eodemque anno celebrata. Biennio post, cum Athanasius Constantis & Constantii auctoritate ac decreto ab exilio revocatus esset, Alexandriamque profectus, & catholica res meliore jam loco esse cœpisset, Valens & Ursacius, qui in ditione Constantis erant, & ad potentiorum nutum voluntatem ac religionem suam fingere jamdudum instituerant, ut antea cum Ecclesia catholica, ita cum Athanasio redire in gratiam è re sua esse statuerunt. Itaque libellum obtulere primùm Iulio Papæ; in quo & illa omnia conficta esse falsi sunt quæ contra Athanasium objecta fuerant, & Arrianam perfidiam anathematice damnarunt; *Sicut per priorem libellum (inquiunt) nostrum, quem apud Mediolanum porreximus, & nunc & semper anathematizasse hac manu nostra, qua scripsimus, profitemur.*

Hæc in Latino eorum libello apud Hilari-
 rium ; cui ista subjicit ; *Hæc epistola post
 biennium missa est quàm hæresis Photini à Ro-
 manis damnata est.* nempe in Mediolanensi
 synodo , ut ex iis patet quæ paullò antea
 scripsit Hilarius ; biennio antè Medio-
 lanensem synodum cui Romani interfue-
 re Legati peractam esse quàm Valens &
 Ursacius cum Athanasio dato libello re-
 conciliati sunt.

Ceterùm Ursacii & Valentis ista recon-
 ciliatio perperam in Annalibus confertur
 in annum c c c l. post mortem Constan-
 tis , qui xv. Cal. Febr. interemptus est.
 Etenim certissimum est superstitè Constan-
 te ambos illos resipuisse ac libellos dedisse,
 quod Athanasius ipse dubium esse non pa-
 titur ^a in epistola ad solitarios , ubi istos
 ait post Constantis obitum ab Arianis ad-
 ductos esse ut ad vomitum redirent & ab
 Athanasij pariter atque Ecclesiæ catho-
 licæ communionem desciscerent , caussan-
 tes metu se Constantis & ingratiis ad si-
 mulandam hanc pœnitentiam esse com-
 pulsos. Hoc verò falsò illos allegasse di-
 cit Athanasius , quòd neque tum ullus
 Palatinus aut Notarius ad eos missus sit
 qui illos cogeret , quemadmodum ipsi
 deinceps instituerunt facere , sed nec Im-
 perator quidem adesset, verùm sponte ipsi

Ursacii &
 Valentis
 reconcilia-
 tio suo
 tempore
 restituta.

^a Pag. 640.

Romam advolassent, & in medio Ecclesie cœtu pœnitentiæ libellos palam protulissent. Hæc Athanasius. Ex quibus perspicuum est Constante adhuc vivo Valentem & Vrsacium Iulio pariter & Athanasio supplicasse. quod anno cccxlix. contigit, biennio post Mediolanensem synodum, quæ ante annos octo quàm Liberius ad Constantium epistolam daret indicta ponitur ab eodem Liberio. Que circa tertia Photini damnatio in Mediolanensi catholicorum synodo facta est, ut ex his omnibus constat.

Quartò damnatus est Photinus in Sirmienti Cōcilio à catholicis.

Quartò damnatus idem est in Sirmienti synodo, non illa celebri cui Ariani præfuerunt, Imperatore Constantio, ac Basilio Ancyrano præcipuas partes illius sustinente, sed in altera, cujus ex annalium historiarumque monumentis hodie memoria omnis excidit, quam nos ex Hilarii fragmentis, velut è parietinis ac ruderibus, sepultam ac penè oblitteratam eruimus. Synodum ergo Sirmiensem à catholicis & occidentalibus in caussa Photini celebratam esse dico priorem illa quæ in eadem urbe ab Arianis & orientalibus est habita. Quod ex verbis Hilarii colligitur quæ hujus capituli initio posuimus. Refert enim Hilarius ad tollendum ex episcopatu Photinum congregatos esse

Episcopus post biennium quàm in Mediolanensi synodo damnatus fuerat, ac per eam occasionem Valentem & Ursacium, qui in Mediolanensi synodo cum catholica Ecclesia in concordiam redierant, cum Athanasio reconciliatos esse. Quod superstitute Constante factum esse & anno Christi CCCXLIX. paullò antea demonstravimus. His ista subjicit Hilarius. *Verùm inter hæc Sirmium convenitur. Photinus hæreticus comprehensus, olim reus pronuntiatus, & à communionem jampridem unitatis abscissus, ne tunc quidem per factionem populi potuit* * *admoveri.* Hinc de loco synodi illius

* cor. amoveri.

constat, nempe Sirmii eam habitam fuisse, neque Photinum de sede pelli potuisse, quòd populus seditione facta Episcoporum conatui restitisset.

Nam quòd Sirmiensis ista synodus diversa sit ab ea quæ postea contra Photinum eundem celebrata est ab Arianis, quæque vel unum fidei decretum vel etiam duo condidit, de quibus mox agitur pluribus, his argumentis ostenditur. Primum ex tempore, quod ab Hilario significatur, & à nobis illustratum est hætenus. Biennio quippe post Mediolanensem synodum, & sex annis antequam Liberius relegaretur, adeoque anno CCCXLIX, Sirmii congregata est illa synodus.

Probatur Sirmiensis prior synodus.

At verò famosum illud Concilium, cui Basilius Ancyranus interfuit, ut minimum biennio pòst, Christi ccc l i. celebratum est, ut autem aliis placet, nono pòst anno Christi ccc l v i i. de qua re postea. Deinde quia Photinus in priore illa propter populi factionem amoveri non potuit, in posteriore verò ab Arianis & Constantio habita omnino dejectus est, ut Sozomenus refert libro i v. in fine capitis sexti. Tertiò quòd Concilium Sirmienfe, de quo Hilarius scribit, occidentales soli celebrarunt, decretumque suum ad orientales miserunt Episcopos, ut idem testis est Hilarius; qui *decretum de Photino ab occidentalibus factum ad orientales relatum asserit, orientales verò mente callidos, ingenio subtiles, malitia pertinaces, occasionem revolvendi ejus quod Athanasii absolute est dissolutum quæsisse judicii, & rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionum talium magistri, addidisse; ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem & veritatis judicio conssepultam in publicam recordationem causse novitas excitaret, & subrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret.* Hæc Hilarius: quorum ex antecedentibus, atque ex historia Severi, hæc sententia est. Marcellus Photini magister, cum ab Arianis unà cum Photino depositus

esset, ut supra demonstravi, in Sardicensi Concilio in integrum restitutus erat. Verum cum pristinum errorem postea resumpisset, *Athanasius hunc à sua communione suspendit; habuitque ille hanc verecundiam ut tanti viri iudicio notatus, sponte concederet, ut Severus narrat. Quod Athanasii iudicium Photini damnatione ac Sirmiensi synodo antèrius fuisse testatur Hilarius, atque his quæ in Photinum gerenda erant auctoritatem præbuisse.* Itaque orientales, decreto illo contra Photinum ab occidentalibus misso, rescripserunt, non solum Photini damnationem approbantes, sed Marcelli insuper addentes; ut hoc modo Sardicensis acta Concilii labefactarent, & quæ ibi de Marcello & Athanasio constituta erant, irrita facerent. Quippe ambo, uti diximus, à Sardicensi synodo sedibus suis restituti sunt. Hujus autem convelli auctoritas infringique videbatur damnato Marcello, quem illa sublevarat, & ad Athanasii damnationem, quem perinde complexa synodus erat, aditus præstrui. Hæc ab Hilario ad eum modum gesta narrantur. Vnde illud apparet, Sirmiensem hanc synodum occidentalium fuisse, & quidem catholicorum; primùm quia Valens & Ursacius hujus occasione synodi cum catholicis & Athanasio penitus concordiam

inierunt ; ut ex Hilario supra docuimus. Deinde quòd idem Hilarius , paucis interjectis , occidentales istos , qui Sirmii convenerant , ea re commendat quòd decretum suum ad orientales miserint bono more institutoque , non ut eos ad assentiendum cogèrent , *ut nunc* , inquit , *agitur* , sed ut certiores illos facerent. *De Photino autem , sicuti mos poscebat , ad orientales epistolæ fiunt , non injuria extorquendi , ut nunc agitur , ad sensum , sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine.* Quamobrem occidentalium iste confessus Sirmii factus non potest idem esse cum altero in quo Basilius cum Photino commissus est , cui soli orientales propemodum interfuere. Ac videtur Constans Imperator , catholici fidei studiosissimus Princeps , ejus promovendæ & in occidente sancientiæ gratia , primùm Mediolani Episcopos congregasse , ut de Arianis , ac præsertim Valente & Ursacio , cognoscerent , & quæ nuper in Sardicensi Concilio decreta erant , denuo firmarent , deinde Sirmii , ut Photinum è gradu dejicerent. quod ne fieret , populus intercessit. Constans verò , antequam vim adhibere posset , è vita sublatus est. Itaque nova deinde synodo opus fuit ad deponendum Photinum.

Quinta igitur & postrema Photini damnatio in eadem urbe Sirmio biennio post priorem facta est anno ccccli. quo depositus est iterum Photinus & episcopatu pulsus, (quod obtineri haecenus non potuerat) atque etiam collatione cum Basilio Ancyrano habita convictus ac prostratus est. Cujus synodi ratio quia perplexa est & multis obstructa difficultatibus, nec levis de actis illius controversia, seponemus ei explicandæ caput alterum, in quo quæ ad illam pertinent, brevi complectemur.

Quinta
Photini
damnatio
in Concilio
Sirmiensi
ab hæreticis
habito.

De tribus fidei formulis Sirmii editis, è quibus sola prima in Concilio adversus Photinum illic peracto facta esse monstratur.

C A P V T II.

CVM jam quartò episcopalibus sententiis notatus ac depositus Photinus, invitis omnibus sedem suam retineret, demum adversus eundem Sirmiensis altera synodus est collecta; in qua Constantii Imperatoris auctoritate rursus ille damnatus, episcopatu cedere cogitur. Synodum hanc celebravere orientales potissimum episcopi. Nam Hilarius libro